

Kreis  
Steinfurt

S 192

1277 September 12 Horstmar.

[81  
192

Bischof Everhard von Münster schenkt der Kommende Steinfurt das Eigentum gewisser dem Ritter Konrad Strick abgekaufter Güter und Zehnten zu Emsdetten (vergl. Nr. 80) gegen Entschädigung durch den Verkäufer.

Everhardus, Dei gratia ecclesia Monasteriensis episcopus, omnibus presentia visuris notum facimus, quod cum Conradus Stric miles domum Hunbrattine in parochia Dheten sitam et decimam Ysingdorpe in eadem parochia, que bona a nobis et ecclesia nostra loco omagii tenuerat, viris religiosis magistro et fratribus domus hospitalis Jherosolimitani in Stenforde nostre dyocesis pro quadam summa pecunie, prout inter ipsos hinc inde convenit, vendidisset, idem Conradus constitutus presentialiter coram nobis dicta bona cum suis attinentiis et aliam domum, cuius proprietas ad ipsum pertinebat, libere resignans petivit, ut eadem bona cum suis attinentiis ita, quod versa vice proprietatem domus sue in Ebbinchove dictam Elardine plus valentem reciperemus, magistro et fratribus domus predictae donare vellemus. Nos igitur petitioni ipsius volentes annuere in premissis proprietatem predictae domus et decimam predictam magistro et fratribus sepedictis contulimus libere possidendam ita videlicet, quod de decima predicta ecclesie nostre Monasteriensi singulis annis quatuor molt et VIII mensuras siliginis et quinque solidos Monasterienses ecclesie s. Egydii persolvant, recipientes versa vice a predicto C. proprietatem domus dictae in Ebbin(c)hove site in parochia Scopingen, sicut ad ipsum proprietatis iure pertinebat, ipsumque loco homagii infeodavimus de eadem. In cuius rei testimonium presens scriptum sigillo nostro fecimus communiri. Actum et datum in Hostmore (!), anno Domini M<sup>cc</sup>o septuagesimo vii<sup>o</sup>, dominica post nativitatem beate Virginis.

Orig. Siegel mit Rückiegel. VIII. Rep. II. 2. Nr. 12. Kopie im Kopiar B fol. 79.